Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



·BBC· xxvij· 337

Domine omnes qui te derelinquunt confundentur recedentes a te in terra
scribentur: quia dereliquerunt venam aquarum viventium dominum. Sana
me domine et sanabor saluum me fac et saluus ero quoniam laus mea tu es.
Ecce ipsi dicunt ad me: Vbi est uerbum domini. Veniat. Et ego non
sum turbatus te pastorem sequens et diem hominis non desideraui tu scis.
Quod egressum est de labis meis rectum in conspectu tuo fuit. Ne
sis mihi in terrorem: spes mea tu es in die afflictionis. Confundantur
qui persequuntur me et non confundar ego. Pauescant illi et ne paueam
ego. Inducc super eos diem afflictionis et duplicia contritione contere eos
domine deus noster. Venite exultemus domino iubilemus deo salutari
eius. Preuenamus faciem eius in confessione et in psalmis iubilemus ei. Quoniam deus magnus
dominus et rex magnus super omnem terram. Quia non repellet dominus plebem suam
quia in manu eius sunt omnes fines terrae et altitudines montium ipse
conspicit. Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud et aridam manus eius
formauerunt. Venite adoremus et procidamus ante deum plangamus coram domino
factore nostro. Quia ipse est dominus deus noster nos autem populus eius et oues pascuae eius.
Hodie si uocem eius audieritis nolite obdurare corda uestra sicut in irritatione secundum diem
tentationis in deserto ubi tentauerunt patres uestri me probauerunt me et uiderunt opera mea.
Quadraginta annis offensus fui generationi huic et dixi semper hi errant corde.
Ipsi uero non cognouerunt uias meas quibus iuratus sum in ira mea si introibunt in
requiem meam. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et
semper et in secula seculorum. Amen